



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

25. An post Bullam Gregorij XIV, gaudeat quis Immunitate Ecclesiarum, si committat aliquod delictum enorme non exceptuatum in dicta Bulla? Et in textu huius Resolutionis adducuntur aliqui diversi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

Supr. qua-
tuor primis
caus. huius
textus, infra
in Ref. 24, 29,
77 & 206, &
in aliis earū
annotatio-
num.

§. 1. **N**ouissimè hic Authore edidit suas *Selectas disputationes*, vbi in *disp. 44. n. 52.* docuit, posse Iudicem sequi has opiniones probabiles, & extrahere reum ab Ecclesia, in his casibus. Primò, si sit blasphemus. Secundò, si occidat Clericum. Tertiò, si è manibus satellitum eripatur, & ad Ecclesiam confugiat. Quartò, si committat delictum in Ecclesia; nam in hoc casu putat non gaudere, etiam in aliis delictis, extra Ecclesiam perpetratis. Quintò, si exiret ab Ecclesia, committendi criminis causa; putat etiam non gaudere Ecclesie immunitate. Sed Confessarij cautè legant hæc omnia: nā loquitur in terminis iuris communis, & in Hispania, vbi, vt *suprà* notauimus. Bulla Gregoriana non est vsu recepta; & idèd, quidquid sit de probabilitate dictorum casuum, stante *suprà* dicta Bulla, reus, vt *suprà*, immunitate Ecclesiarum gaudebit.

Sup. in Ref.
quæ hic est
infra 60. §.
Sed ego, & in
alia Ref. eius
not.

RESOL. XXIV.

An qui commisit gravia delicta extra homicidium, & mutilationem in Ecclesiis, vel cæmeteriis gaudeat hac Immunitate? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 2.

Sup. hoc in
Ref. præteri-
ta, & in Ref.
seq. §. Vnde,
prope finem,
& in Ref. 1.
post seq. &
signanter in-
fra in Ref. 18.
per totam, &
in fine Ref.
32. Sed lege
cam per to-
tam.

§. 1. **N**egatiuè respondet Gambacurta *lib. 5. cap. 18.* & Villadiego *in Polit. cap. 3. num. 206.* Tannerus *in 2. 2. disp. 5. q. 8. dub. 1. num. 16.* & ante Bullam Gregorij, quod non miror, hoc etiam docuerat Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 6.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 29. 99. art. 3. disp. 7.* Barbosa *in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 10. num. 4.* Ioan. de Heuia *in Curia Philip. p. 3. §. 12. num. 20.* Graff *tom. 1. lib. 3. conf. unico, num. 10.* & 18. de *immunit. Eccles. & Portel. in dubis regul. verb. Eccles. immunitas, num. 15.*

2. Sed contrariam sententiam, post dictam Bullam, amplectendam esse censeo: & ita, committentes in Ecclesiis stupra, sodomias, monetam falsam, & similia, gaudent immunitate Ecclesie, licet tales delinquentes sint à Iudice ecclesiastico puniendi ratione loci & delicti; seu cõsulto prius Romano Põfifice, poterit etiã tradi Curie seculari, si delictũ esset atrocissimum. Ita docet P. Peregrinus *in tract. de immunit. Eccles. cap. 6. num. 23.* Riccius *part. 5. collect. 1792. vbi* asserit, per nostrã Bullam correctum esse *cap. fin. de immunit. Eccles.* Bonacina *de legibus, disp. 3. q. 7. §. 4. num. 12.* Farinac. *de immunit. Eccles. cap. 16. num. 208.* & 209. P. Megala *in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 1. num. 15.* & nouissimè ex Societate Iesv P. Scortia *in Bull. Pont. epit. 153. Theor. 385.* Vnde non est audiendus Reginald. *in prax. tom. 1. lib. 9. cap. 16. num. 38. in fine.* Et ratio est: quia, vt *suprà* diximus, priuatio immunitatis non est extendenda ad casus in Bulla non expressos, sed in dicta Bulla excipitur tantum homicidium, & membrorum mutilatio, ergo non est trahenda ad alia, licet enormia delicta. Hanc etiam sententiam docuit Iuriconsultus Gratianus *in discept. forens. tom. 2. c. 380. num. 28.* & alij communiter; quidquid in contrarium asserat Zipæus *in Iure nouo can. lib. 3. de immunit. Eccles. num. 10.*

Sup. in Ref.
quæ hic est
sup. Ref. 3.

RESOL. XXV.

An post Bullam Gregorij XIV. gaudeat quis Immunitate Ecclesiarum, si committat aliquod delictum enorme non exceptuatum in dicta Bulla?

*Et in textu huius Resolutionis adducuntur aliqui diuersi casus pro praxi *suprà* dicta quaestiois.* Ex part. 5. tr. 1. Ref. 2.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Cutellius *in leg. Marini, cap. 17. num. 5.* vbi sic ait: Citra casus in Gregoriana contentos, semper in re graui, quæve eximiam habere facinoris atrocitatem, existimem rescribendum esse Summo Pontifici, ne protectione Ecclesie releuentur, ac interim custodiendos supplices, nisi fortè atrociora essent expressis ac iure communi excepta, tunc enim cum Gambacurta, & aliis quamplurimis negandam fore supplicibus immunitatem putarem, nam quæ Diana speciali tractatu aduersus hæc comminiscitur, grauioribus Interpretibus increpatis, decreta illa vt pœnaliam amplianda non esse, cum maxime per illa ius commune corrigatur, ex iuris ignoratione procedit. Sic ille. Sed in his verbis Cutellius non solum mihi, sed etiam sacre Eminentiſsimorum Cardinaliũ Congregationi notam ignorantie inuiti: nam Petrus Gambacurta, vir aliqui doctus, quia docuit hanc opinionem, quam contra me docet Cutellius, fuit à sacra Congregatione inter authores prohibitos annumeratus, vt patet ex Decreto tenoris seq. Decretum sacre Congregationis Illustr. S. R. E. Cardin. à SS. D. N. Gregorio Papa X V. sanctæque Sede Apostolica, libris omnes infra scriptos sacra Congregatio S. R. E. Cardin. ad Indicem deputatorum, vt damnatos, ac prohibitos omnibus, & singulis publicari censuit, sicuti præsentis Decreto eos penitus damnat, ac prohibet vbicumque, & quouis idioma te impressos, aut imprimendos, mandans sub singulis, & quibuscumque ordinariis pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ne eos aliquo modo in posterum vel imprimere, vel legere, vel apud se etiam retinere audeant, sed vt statim si quos illorum habuerint, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis à presenti Decreti notitia exhibeant: libri autem sunt, videlicet *Achmetis Onirocritica cum Notis Nicolai Regalii, &c. Petri Gambacurta Commentar. de immunitate in constitutionem Greg. XIV. libri octo, &c.* In quorum fidem manu & sigillo Illustr. & Reuer. Cardin. Barberini præsentis Decretũ, signatũ, & munitum fuit. Romæ sub die 17. Julij 1634. *M. Card. Barberin. locus sigilli. †. Fr. Franciscus Magdalenus Ord. Præd. Secret. Romæ ex Typographia Rom. Cam. A. post. M. DC. XXXIII.* Videat modò Cutellius stante hoc Decreto, si cõtra me opinionem Gambacurtae tutò defendere possit. Dicendum est igitur Bullam Gregor. XIV. de immunitate Ecclesiarum corrigere jus commune: vnde omnia alia delicta, licet enormia in dicta Bulla non exceptuata gaudebunt dicta immunitate, neque ego docui hanc sententiam ex ratione, quam adducit Cutellius, sed ex verbis luce meridiana clarioribus appõsitis à Summo Põfifice Gregorio in dicta Bulla, & ex alia Bulla Clem. VIII. die 6. Februar. 1597. directã ad Archiepiscopum Panormitanum Didaem de Haedo, & ex aliis rationibus à me adductis *in 1. part. tract. 1. * resol. 1.* ad quas ne verbo quidem respondit Cutellius, & idèd nostram sententiam præter 18. Doctores quos in dicta resolutione citauit, tenet etiam Elifæus Danza *in magna Doctorem, tom. 1. tit. de immunit. Eccles. c. 7. num. 15.* Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccles. cap. 3. num. 3.* & Ioannes Anton. Nonarius *in summ. Bullar. tit. de immunit. Eccles. num. 3.*

2. Vnde ex dictis patet decisio illius quaestiois, an Sodomita gaudeat immunitate Ecclesiastica? & negatiuam sententiam contra me docet Cutellius *vbi supra*, & contrarium, quod ego assero, putat absurdum esse, ac oculis legentium deforme: sed more suo excedit in his verbis: Dico igitur nefandis crimen atrocissimum esse; tamen quia non est de exceptatis in Bulla Gregoriana, gaudet Ecclesie immunitate;

Sup. hæc in
Ref. seq. &
lege Refol.
præteritam,
& alias eius
primæ not.

Sup. hoc in
Refol. not.
seq.

* Quæ hic
est sup. Re. 1.
& signantet
§. ult. & infra
in Refolut.
58. §. Sed tu,
&c.

RESOL. XXVI.

alibi in Ref. que hic est infra 19. & in Ref. 17. Quæro quinto.

Que hic est infra in alio iuris annot.

Sup. hoc supra in Ref. 14. & in aliis eius annotationum, & infra in Ref. 18. per totum.

Sup. hoc infra in Ref. 44. 45. & 46. 47. & in aliis 8. eorum annotationum.

& ita hanc sententiam præter Doctores quos alibi contra Reginaldum citavi, non solum in terminis Bullæ Gregorianæ, sed etiam in terminis iuris communis, docet Sanchez in *opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 10. num. 2.* Quia, ait ille, in *cap. inter alia*, de immunitate Ecclesiarum quantumcumque graua delicta perpetraverit, non est reus ab Ecclesia arcendus, nisi in casibus duobus, ibi exceptis. Et sic Panormit. *ibi num. 17.* dicit decisionem illius capituli non esse extendendam ad alios casus. Idem Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 10. num. 2.* & Bossius *tit. de captivitate. n. 32.* dicitur conclusum esse in Senatu, quod nec etiam pro crimine læsæ Maiestatis potest extrahi; & sic quantumvis crimen graue sit ultra ibi excepta, non est extrahendus: & Montalvus *part. 1. tit. 21. lib. 4.* dicit, in nullis aliis casibus ultra ibi exceptos debere extrahi, quia immunitas, & favor Ecclesiæ debet ample intelligi; & Marianus Zozimus *tit. de citationibus, art. 17. num. 39.* dicit quod secundum Doctores, illi tres casus excepti non extenduntur ad similes, & Faber *§. fin. Inffit. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, n. 2.* dicit quod iure Canonico omnes gaudent immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus dicto capite inter alia positus. Huc vsque Sanchez, quem ego citavi in *part. 4. tra. 1. resol. 45.* cum Castro Palao, & aliis, quibus nunc addo Elisabetham Danza in *pugna Doctorum tom. 2. tit. de immunit. Eccles. c. 4. n. 10. & seq.* qui hanc sententiam non solum in laico, sed etiam extendit in Clerico sodomita, & sequitur Ioannes Maria Nauaricus in *sum. Bullar. tit. de immunit. Eccl. u. 4.* etiam si crimen sodomia commissum esset in Ecclesiâ, quia in dicta Bulla Gregoriana excipiuntur tantum crimen homicidij, & mutilationis, si committantur in Ecclesiâ: ergo, &c. Credit tamen Farinac. *de immunit. c. 6. n. 98.* quod si huiusmodi Clericus deliquisset iuxta terminos constitutionis Pij V. quod indubitanter Papa, si fuisset requisitus, illam concederet, sicut potest & solet aliquando concedere in delictis grauioribus, licet non exceptatis in Bulla Gregorij XI V. vt per eundem Farinacium *vbi supra n. 346. & seq. par. 1.*

3. Notandum etiam est hic Cutellium ad *legem Federici, cap. 72. not. 81. num. 1.* contra me docere, infideles non gaudere immunitate Ecclesiarum, asseritque meam sententiam nullo fundamento posse tueri. Sed tu ne deseras videre me ipsum, non solum in loco à Cutellio citato, sed etiam in *part. 4. tra. 5. resol. 50.* vbi solida inuenies fundamenta pro hac stabilienda sententia, quam nouissimè cum 12. Doctoribus tenet etiam Barbosa *de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 44.* vbi testatur ita declarasse mense Februario anno 1631. sacram Congregationem Immunitatis, quam tanquam oraculum in his materiis iurisdictonalibus, SS. D. N. Urbanus Papa V III. toti Christianitati constituit. Ab hoc puro fonte, mi Cutelli, haurienda est aqua, & tu tamen sententias, quas ego ex factis Cardinalium Congregationibus doceo, nunc vocas reprobas, modò ais procedere ex iuris ignoracione, nunc asseris nullo fundamento posse tueri. Terribilis quidem opinionum qualifcator esses, si in nostro sacro Tribunali ob in illud bene merita, vt moris est, ad id munus admitteteris.

4. Notandum est tamen hic obiter Barbosa *loco citato* inter auctores, tenentes infideles non gaudere immunitate Ecclesiastica, me etiam annuere, sed, vt visum est, ego contrarium docui, voluit credo, doctus, & amicissimus vir me inter auctores affirmantes ponere, sed posuit inter negantes, quod non semel accidit ex abstractione speculationis in componendo.

An Immunitas Ecclesiarum neganda sit aliquibus rebus, etiam si non commiserint delicta in iure excepta?

Et an Clerici gaudeant Immunitate Ecclesiarum vbi ibi?

Et an Sacerdos, v.g. indutus costâ, & stola extra Ecclesiam, procedente cruce ad efferendum defunctum, vel Sacramentum Extrema Vnctionis vel Eucharistiâ ad infernum, possit capi à satellitibus de licentiâ Episcopi? Ex part. 6. tract. 1. Ref. 25.

§. 1. **E**X pluribus resolutionibus supra positis clare apparet Sarpum affirmatiuam tenere sententiam, & idèd *fol. 55* sic tandem asserit. Multa retuli, quæ sigillatim solent frequenter accidere, vt ex iis generatim colligi possit sacrorum se locorum immunitate eos defendere non posse, qui quæuis alia graua, atque enormia delicta commiserint: etenim aut iudem, aut maioribus etiam de causis, quas supra recensuimus, quodcumque aliud graue delictum complectuntur. Et ex Farinacio, & Nauarro, testatur Romæ immunitatem Ecclesiarum vsu receptam non esse, nisi in leuioribus delictis, quod à Pontifice permittitur, ne iustitia optimatur, & publica quies & tranquillitas perturbetur. Et addit, quod nemo sanæ mentis credere poterit Summos Pontifices id iuris cæteris Principibus non concedere, quod publicæ conuenit tranquillitati, & ab ipsis in eorum ditione necessarium iudicatur. Quate tandem subdit Ecclesiarum immunitatem, cum statuta fuerit ob delicta, quæ nullo consilio, sed impetu quodam sunt, & ad refugium miserotum, non debere Ecclesias ipsas Latronum speluncas efficere, & eorum receptaculum, qui atrociora facinora perpetrauerint: idcòque satis iuperque esse, si iudices inferioris subfelli, qui leuiora delicta iudicant, eam obseruant; sed Maiores iudices in atrocioribus ea non tenent. Huc vsque Sarpus.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, etiam in terminis iuris communis, vt nos supra in discussis quæstionibus probauimus: & ratio est clara; quia *cap. inter alia*, priùs dicit. Quantumcumque graua maleficia, perpetrauerint; & postea addit in particulari duas illas exceptiones, nisi publicus Latro fuerit vel nocturnus depopulator agrorum; &c. Ergo non licet contra Sarpum ad alia omnia crimina æquè graua illas extendere; aliàs non esset exceptio, sed destructio Regulæ. Cum ergo ius commune in aliquibus locis constituat vniuersalè Regulam, & quasdam exceptiones addat, sequitur confirmare Regulam quoad omnia crimina non excepta, ex illo Axiomate communi, quod Exceptio firmat Regulam in contrarium quoad casus non exceptos, satis patet ex *l. nam quod liquidè, §. final. ff. de Procurat. legit. & ex l. quæstum, §. denique, ff. de fund. instruct. & ex cap. domus 32. quæst. 7.* & notat Surdus in *consil. 430. num. 7. lib. 3.* Bartolus in *dict. l. quæstum, §. denique, ff. de fund. instruct. Romanus singul. 337. num. 8.* Gratus *respons. 155. n. 6. lib. 2.* Giurba *conf. 110. n. 18.* Gratianus *disceptat. forens. cap. 598. num. 17. & 18.* & determinauit sacra Rota coram Ludouisio *decis. 259. num. 4.* & alij. Vnde à regula generali posita *in d. cap. inter alia*, non est discedendum: nam à regula non est discedendum, vbi exceptio minimè posita est; vt patet ex *l. prauaricationis ibi*: quia neque lege aliqua de hac re actum est, neque Senatusconsulto, de prauaricat. & docuit Sacra Rota penes Farinacium *part. 4. decis. 688. n. 3.* Caputaquens. *part. 2. decis. 367. num. 2. & 3.* & idèd dicit Bartolus in *l. iis*

Sup. hoc in Ref. præficta & vide etiam Ref. primam post præfictam, & alias eius primæ not.

